



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Judex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

rum ignorantiam invincibilem, & inculpabilem, ut constat, tum ex illo axiomate; facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam suam, tum ex propof. 5. inter damnatas ad Alexandro VIII. quæ dicit: *Paganos, Iudaos, Hæreticos nullum accipere à Jesu Christo influxum, & carere gratia sufficienti.* Possunt tamen etiam fideles aliquando errare invincibiliter in iis articulis, quorum fides est solùm necessaria necessitate præcepti, puta, in numero Sacramentorum &c. & in his casibus fidelis non peccat.

J U D E X.

357. **Q**Uæritur. An sit Probabile, quod Judex possit judicare juxta opinionem etiam minus probabilem?
 Resp. Esse falsum, & expresse damnatum ab Innoc. XI. cum propof. 2. ratio est, quia tum jure positivo canonico, & civili, tum jure naturali tenetur Judex in ferenda sententia sequi opinionem probabiliorem, ergo non potest juxta minus probabilem judicare; tenetur quidem jure positivo canonico, & Civili, quia in *in reg. 49. Juris in 6. & leg. in obscuris ff. de regulis juris dicitur: inspicimus in obscuris quod est verosimilius;* tenetur pariter jure naturali, quia sicut Medicus, etiamsi ex Charitate, & sine salario suam operam ægroto exhibet, tenetur ex contractu implicito adhibere pharmacum probabilius curativum, omisso minus probabili, quando æque potest utrumque applicari, ita Judex ex contractu implicito cum Republica tenetur ferre sententiam juxta merita Causæ, adjudi-

tando rem illi, cui magis jus favet, aliter malè confuleretur bono publico, si sententia ferenda esset ex favore, & ob amicitiam cum Judice, unde ferè semper pauperes opprimerentur.

358. Ex dictis sequitur 1. Judicem, qui juxta minus probabilem opinionem judicet, non solum peccare, sed etiam ad restitutionem teneri, ratio est, quia peccat contra justitiam commutativam, tollendo ab altero ex collitigantibus id, quod ipsi debetur, & quod habet jus strictum proprietatis, ne scilicet abjudicetur res collitiganti, cui minus assunt favores legum.

359. Sequitur 2. Quod si cognoscat, probationes esse æquales, & jus utrique parti æqualiter favere, non debet pro suo speciali favore rem litigiosam parti, cui voluerit adjudicare, quia non est dominus rei, sed dividenda erit in æquales partes, si fuerit divisibilis, vel retinens totam rem debet alteri compensationem reddere secundum æstimationem dimidii; æquale est enim jus ambarum partium.

360. Sequitur 3. Quod dictum est de Judicibus à Republica constitutis, dicendum etiam de Judicibus ex partium conventionne destinatis, seu de Arbitris, necnon de omnibus his, qui litigantium dissensiones in rebus decidunt; omnes isti contra justitiam commutativam peccant, & ad restitutionem tenentur, si opinioni minus probabili se accommodant.

361. Quæritur. An Judex possit accommodari se opinioni collegæ, & contra propriam opinionem secundum illam ferre sententiam?

Resp. Quod si collega sit doctior, ita ut
ob

ob ejus extrinsecam auctoritatem sententia possit prudenter æstimari probabilior poterit Judex suam opinionem deponere & illi se accommodare: secus non potest quia Respublica vult, ut cuilibet juxta proprium sensum judicet quod sibi videtur verosimilius.

362. Quæritur. An Advocato, & Procuratori illicitum sit tueri opinionem minus probabilem sui Clientis?

Resp. Quod Advocati, & Procuratores tenentur admonere clientem de minoris probabilitate suæ causæ, atque de proximo periculo amittendi etiam expensas, quod si non moneant, peccant graviter; & tenentur restituere parti læsæ: Nihilominus licitum est promovere rationes clientis, etiam si Patrono appareat probabiliorem, esse opinionem, quæ favet partem contrariæ, ratio est, tum quia possunt progressu temporis novæ rationes apparere Advocato, vel Procuratori, ita ut Clienti lis adjudicanda sit, tum etiam quia poterit Judici apparere probabilior opinio, quæ Advocato, vel Procuratori apparet minus probabilius; nec ipsi patrocinando causæ, cogunt ullatenus Judicem, aut illi suadent, ut suam opinionem sequatur.

363. Quæritur. An quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, possit Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio?

Resp. Constat ex decreto Alexand. VII. damnantis propos. 26. id esse illicitum ratio est, quia Judex tenetur ex justitia integram litem adjudicare, sed Judex, qui aliquid accipit ad eo, quem alteri præfert, non dat totum, quod debet ex justitia da-

re, ergo peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur: quod autem spectat ad munera, quæ dari solent Iudici ad aliciendum animum &c. *vid. Beneficium quest. 58.*

364. Quæritur. An quidquam dari possit, promitti, vel pacisci pro iustitia, vel gratia sive Ecclesiastica, sive temporali obtinenda apud sedem Apostolicam, & Romanam Curiam?

Resp. Negative, prout expressè legitur prohibitum sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ à Bonifacio VIII. Gregor. XIII. Alexandr. VII. & Innoc. XII. *constit. incip. Sacerdotalem, & Regiam Urbem 3. Kal. Febr. 1699.* in qua confirmantur, & innovantur præfatorum Pontificum constitutiones, & pœnæ in eis contentæ (optimum esset constitutionem legere, videatur Bonacina *Tom. 3. disput. 2. quest. 3. punct. 31. pag. 231.*) dictisque pœnis submittuntur omnes sive Clerici, Religiosi, Laici, sive Iudices, Advocati, Procuratores, Expeditores, Agentes, & Negotiorum gestores, auxilium quoque, ac consilium, vel favorem dantes; xenia verò solita, hoc est, munera, esculenta, & poculenta, quæ hospitibus dari solent, & quæ intra proximos dies edi, & potari possunt, ac merces labori convenientes non prohibentur; sed vitentur fraudes.

365. Item recipientes officium, etiam sæculare, ut gubernium Castri, Arcis &c. modo interdicto eisdem pœnis subjiciuntur, neque illud exercere, neque stipendia recipere, vel recepta retinere possunt? ad incurrendam tamen illam censuram Sæcrali Apostolicæ reservatam non requiritur, quòd gratia, vel iustitia realiter, & cum esse.

effectu obtineatur, requiritur tamen, ut quis delinquat cum scientia Prohibitionis, & pœnæ.

JURAMENTUM.

366. **Q**Uæritur. An vocare Deum in testem mendacii levis, sit tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia licet mendacium sive jocosum, sive officiosum, sive perniciosum desumat suam gravitatē, aut levitatem à damno gravi, aut levi, quod alteri, aut commercio humano irrogat, ut proinde, si damnum leve irroget, culpam venialem non excedat; malitia tamen perjurii suam gravitatem desumit ex eo, quod Deus prima veritas adducatur in testem falsi, ad quod parum refert, quod falsitas illa sit gravis, aut levis, perniciosa, vel tantum jocosam; gravissima autem irreverentia Deo irrogatur, quod adducatur in testem falsi; idcirco nunquam perjurium assertorium poterit a mortali excusari; ut manifestè constat ex propof. 24. inter damnatas ab Inn. XI. immò gravius est peccatum perjurii etiam in materia levissima, quam ipsum homicidium, & quodcumque aliud peccatum contra proximum, illud quippe immediate Deum lædit, & parvitatem materiæ omninò excludit.

367. **Q**Uæritur. An sit licitum cum causa jurare sine animo jurandi?

Resp. Negativè juxta decretum Innoc. XI. damnantis propof. 24. ratio est, quia jurans sine animo jurandi, sive juret verum, sive pejeret, sive in re gravi, sive in levi,

hvc